



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De præmio Castitatis quod habet in terra. Cap. 12.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

ampliorem, victoria de hostibus gloriofior. Manifestum est autem, castos, si cum non castis conferatur, difficilis & gratius obsequium obtulisse, & gloriofisorem victoriā de carne hoste acerbissimo reportasse. Scriptum est: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.] Ergo quantum quis afflixit se, & in tristis fuit, tantum accipiet exultationis, & gaudij. Casti autē magis se cohibent, & diligenter carnem affligunt; majori ergo in aeternis mansionibus lætitia perfruentur. Dabitur etiam animabus castis maior gloria, quam in scholis vocant accidentalem. Nam virginibus dabitur virginitatis laureola, qua non est aliud quām singularē gaudiū in animā ex victoriā de voluptatibus obtētā, & de carne superata, lux etiam quādam pulcherrima, aut aliud quid simile ignotum nobis in corpore virginis, quod illas illustres de carne victorias, tamquam signum puritatis ostendat. Casti autē, sed non virgines, licet aureolam non obtinebunt, tamen non dubium est, quin magno gaudio cumulabutur propter castitatem feruam. Quod tamen ideo nomen aureola, aut laureola non habet, quia ad illam singularissimam virginum victoriā non accedit. Aureola namque apud Theologosea præmia accidentalia designant, quæ præcipuis victorii deputantur. Quales sunt, quos Virgines, & Martyres, & Doctores, de carne, & mundo, & de diabolo obtinent. Casti igitur, & continentes, præmium cumulatissimum in celo recipient, sed illi præcipui, qui castitatem, aut virginitatem suam Deo suo perpetuo voto nuncuparunt. Hoc enim votum magnam religionis perfectionem castitati adjicit, & mentis castæ firmitatem ostendit, & corpus ac mentem, ut immaculatum holocaustum, igne amoris accēsum numeri diuinæ maiestatis offert. Vorum castitatis est quasi emblemata, quod auro castitatis impositum facit illud pulchrius atque pretiosius. Quare castitas firmata voto sicut est libera castitate perfectior, ita est in conspectu Domini gratior, & in aula regis cœlestis ampliori præmio apparebit ornatior.

### De Præmio Castitatis quod habet in terra.

#### CAPUT XII.

**C**ASTITAS multiplex præmium habet in terra, nam carnis mētisque mundicia, ut supra dictum est, intellectui seruit, ut terrestria & cœlestia cognoscatur, voluntati, ut à voluptatum nixibus libera, in id, quod rectum est, suos ferat affectus, & corpori, ut vitā longiorem, robustiorem, iucundiorēmque possideat. At vnius tantum præmij mentionem faciemus, nempe honos eximij, quo castitatem omnis Ecclesia prosequitur. Cerrum est autem, virtutem hanc pulcherrimam, ac præstantissimam semper apud Ecclesiæ filios in magno prelio fuisse habitam, eique illos primas in omni æstate partes detulisse. Quod enim per se melius est, & rarius, & sublimius, pretiosius etiam est, & maiores habenti honorem conciliat. Castitas vero melior est coniugio (abfurdum enim esset eam cum luxuria immundicia conferre), & rario, quia comparatione eorum, qui carnis deliciis se tradunt, pauci sunt, qui castitatem profiteantur, & sublimior, quia non respicit multiplicationem corruptibilium corporum, sed virtutis & sanctitatis augmentum. Ergo pro mēsura suæ dignitatis accipiet apud omnes

A honorem. Merito autem nonnulli continentium honorem eliciunt ex illo elogio, quod Ioannes in Apocalypsi virginibus tribuit. Iam quippe diximus virginis signatos esse illis cētū quadraginta quatuor millibus stantibus cum agno supra monte Sion. De illis autem quid subiungit: [Et audiui vocē de celo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitruī magni, & vocem, quam audiui, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.] Vocem virginum sonitus aquarum impetu decurrentium, & sonitu tonitruī, & harmonia cithara comparauit, quæ omnia timorem & stuporem incutunt. Vox continentium, vita continentium est. Nam si Moyses desiderio clamabat, & audit dicens Dominum: Quid clamas ad me? Et Franciscus tacens, & vicos, ac plateas ciuitatis inambulans, solo incessu prædicabat, quid mirum si casti vita puritate clamēt, & voluptatum sopore oppressos conuersatione sua tamquam voce ad imitandum exsuscitent? Hæc igitur vox illorum est sicut vox aquarum multarum: nam sicut flumen, quod in hac America Paranam vocamus, & est (vt creditur) omnium fluminum totius orbis maximum, impetu aquarum ingēte, quo alue faxa collidunt, magnum sonum edat, qui ad multis leucas auditur. Ita & mundissimam conuersationem castorum longè politi cum stupore audiunt, & non sine magna veneratione suspiciunt. Vis contemplati animam caffam longè ab hominibus distat. Audi ergo quid scriptura de sancta Judith aferat. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum pueris suis clausa morabatur.] Quantum, bone Deus, ab hominum consortio distabat, quæ non solum verbum, sed nec alpectrum illis concedebat! At huius vita abscondita, quia numda, sicut sonitus aquarum multarum apud abfentes validè refonabat. Erat enim in omnibus famosissima, neq; erat, qui loqueretur de illa verbū malum.] id est, verbum, quod eius castitatem aliquius vel minimæ labis notaret. Hoc, scilicet non dici de illa verbum malum, fecit vitam eius mundissimam, verbum bonum quod cum admiratione omnes audirent, & cuius causa illam summis honoribus afficerent.

D Est etiam vita continentium quasi vox tonitruī magni. Nam tonitruī sonus est ex nubis ruptione procedens: & ita castitas ex nube exiit, quia ex filio Dei ad nos per humanitatem veniente processit. Christus enim est nubes illa, de qua Isaías ait: Ecce Dominus ascender super nubem leuen; ] ex eo nimirum, quod verbum humanitatem assumpit. Nubecula hæc humilitate paruula præstito tempore apparuit, ut pluviā gratiarum abundantissimam plueret, & in cruce, vulneribus manuum, & pedum, & lateris, rupta cum fragore tonaret. Ex ea nube tonitruī castitatis cœlum est, quoniam Christus ex Virgine nasci voluit, mundiam virginitatis in se ipso confecravit, & homines castitatem edocuit. Unde Ambrosius de virginitate loquens: E cœlo, ait, accersuit, quod imitetur in terris, nec immerito vivendi sibi vnum quæsivit cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in cœlo. Et post pauca: Quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile inuenimus in terris, nisi postquam Deus in hac terreni corporis membra descendit? Et Nazianzenus. Olim cum lex erat, & umbra, ceremoniæq; temporaria, tum primatum habent nuptias tamquam adhuc infantes: postquam vero emigrit littera, subinductusq; est spiritus, & Christus cum processisset ex Virgine, in carne passus est, tunc effusit castimonia. ] Est itaq; castitas sonitus, ac tonitruī huius nubis, quam qui

audit,

Ambr.  
de vergi-  
nibus.Nazian-  
zenus  
ad vergi-Apocal.  
14.2.Exod.14.  
1.5.Iudith.8.  
3.Ibidem.  
8.2.Ibidem.  
1.1.

*Autor. 24.*  
audit, timore cōsideratur. Habemus huius rei in Actibus Apostolorum clarissimum testimonium. Nam disputante Paulo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Fœlix, respondit: Quod nunc attiner, vade, tempore autem opportuno accessas te.] Quodnam fuit tonitruum fœlicem exterrens, nisi sermo exhortatorius ad castitatem? Ille enim qui Drusillam pulcherrimam mulierem & alteri nuptam, à viro eius separauerat, & per iniuriam obtinuerat, non potuit non ad calitatis meroiam & stupore, & ad diuini iudicij in libidinosos parati seueritatem trepidare. Quin & illud eiusdem faci historici, quod alibi de Apostolis ait, ad hoc idem referri potest: Ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Videbant enim infideles, in Apostolis, atque in eius sectatoribus, candorem puritatis præcipuum, quo exterriti indignos se eorum conuersatione ducebant, atque ipsorum consortia fugitabant. Voluerunt illos laudare pulchritudine virutis fidelium dilecti, quos amore carnis & sanguinis vincit non voluerunt imitari. Ad rem etiam facit, quod eligens Dominus Iacobum Zebedæi; & Ioannem fratrem Iacobij purissimos virgines, [imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filii tonitrui.] Quam ob causam filij tonitrui appellati sunt? Certe quia inter Apostolos fuerunt ardentissimi Euangelij praecones, & quia eorum vita purissima, & Angelorum vita simillima homines ad timorem & admirationem prouocabat.

*Autor. 5.*  
Est quoque cœlibi conuersatio pura, & sonitus cithara à peritissimo citharœdo pulsata, qui & aures demulcer, & ipsi citharœdo honorem eximum assert. Sed hæc quasi per partes dicamus. Quænam est cithara? Est corpus virginis, seu casti. De qua regius vates ait: Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.] Ad cuius sonum edendum iustos alibi exhortatur, dicens: Confitemini Domino in cithara, in psalterio decen chordarum psallite illi.] Et Rupertus: Cithara, inquit, instrumenta laudum, pectora sunt fidelia, cœlaque corpora, cum plectro lauguæ Dei laudes personantia.] Et quare cithara? Quia cithara ex multis variis chordis cœposita, & aptè temperata, ex inferiori parte pulsatur: & corpus ex variis membris ordinatè dispositis coagmentatum, mortificatione discreta, quasi sonorum & harmoniæ redditur. Quid ait Paulus? Sicut exhibuitis, inquit, membra vestra seruire iniuriant ad iniuriam; ita exhibete membra vestra seruire iustitiae in sanctificationem.] Ecce chordas citharae, membra nostra aptè temperata, quæ dum omnia virtuti seruunt, suauissimum Deo sonum edunt. Sicutur enim chorda, inquit Gregorius, ut congruum in cithara cantum edat, quia sancti virti castigant corpus suum, ut seruuti subiiciant. Et quis citharœdus? Est vir castus atque pudicus. Si enim hoc loco vocat eum Ioannes, & meritò, quoniam ut Deo in oratione laudes canat, & quasi dulci sono oblectet, citharam sui corporis puritate & mortificatione temperat. Et quæ est citharizatio? Est diligentissima castitatis custodia. Hæc enim dulcissime Deo resonat, & citharœdo, scilicet homini, magnum honorem conciliat. Deo quidem suauiter sonat, quoniam ille, cum puritas summa sit, nihil gressus habet quam hominem mundicam corporis mentisque seruantem, & ex ea ad eius amorem affiguntur. Honorem autem coram aliis homini conciliat quia reliqui eum honore afficiunt, quem natura victorem, carnis sua expugnatores, & Angelorum imitatores agnoscunt. Profecto si quo homo similior, & propinquior est regi, eo,

*A* maiori honore dignus cœsetur: homo castus, & præcipue virgo, honore dignissimus censendus est, qui Deo quam simillimus inuenitur. Deus namque purissimus est, quem ob eximiam puritatem Gregorius Nazianzenus virginem auctor est appellare. Nam inquit:

*Prima Trias virgo est, siquidem patre natus anarcho.  
Filius est, nec enim pater ortum traxit ab ullo,  
Ut pote principium verum, & vitalis origo,  
More nec humano generauit sanguine natum.*

Nazian.

*B* Virgo quidem, non quia corpus in sua deitate habeat, quod corruptioni subiucere potuerit, sed quia purissimus & mundissimus est, & omnis puritatis initium. Qui ergo perpetuam corporis ac mentis puritatem custodiuit, & in sua etiam mensura, qui puram castitatem seruauit, Dei in se magnam similitudinem habet. Vnde à Cypriano virginitas appellatur Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini. Et Basilius: Magnum quiddam est virginitas incorruptibili Deo hominem similem faciens. Quis ergo hunc non maximo honore prosequetur? Quis non illum ut dignum eximia reverentia suscipiet? Certe castitas nelcio quam grauitatem homini præbet in facie, & in verbis, & in motibus eluentem, propter quam debet ab omnibus honorari. Idque indicant verba Pauli ad Titum scribentis: In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Integritas incorruptionem castitatis significat, secundum Anselmum, & alios: post eam vero meminit grauitatis, quia castitas homines maturos & graves facit, talesque, ut ipso asperitu, & pudicitia opinionem sint omnibus honorabilis.

*C* Hinc fit, ut qui in Ecclesia castitatem profitentur, priuilegiis & honoribus dignissimi censeantur. Et sicut qui in hoc statu castitatem, quam lege tener, actione non seruat, est in corde & ore cunctorum fidelium vilissimis, qui illam perfectè custodit, apud viueros existit honorabilissimus. Cui multa alia diffunduntur, si in hac re tam delicata, & tam supra imbecillitatem humanam, irreprehensibilis inuenitur. Nec solùm in Ecclesia castitatis decorum agnoscente, verum & apud genites, innumeris obsecratibus deditas, castitas in pretio fuit. Tanta enim est eius dignitas, ut natura ipsa poscente, à suis hostibus diligatur, & honoretur. Virgines certè apud Romanos, ut Suetonius ait, in theatro dignissimum locum habebant è regione Prætoris, & magnus honor Augustæ tribuebarūt, auctore Tacito, si inter virginis Vestales confideret. Illi datum est, inquit Plutarchus, ut vivo patre posse testamentum condere, & ac si essent trium liberorum matres, cetera negotia gerere. Si domo exibant, cum fascibus more gubernatorum deducebantur; si casu in quemquam incidebant, qui ad mortem diceretur, liber ob virginitatis honorem relinquebatur. Si quis occurreret seretro vestus, aut viâ, cedebat, ne tamquam virginis contemptor moreretur. Quid quid virginitatem qualiter consiliatricem existimabant, & quid diuinum eam esse duebant? In cuius confirmationem Hieronymus de Sibylla agens, hæc ait: Varro decem Sibyllas esse autem, quarum insigne virginitas est, & virginitatis premium diuinatio. Quod si Aëolicis genere sermonis Sibylla θιβύλη appellatur, rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. Certe Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quid Consules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de

*Suet. in  
August.  
c. 44.  
Tacit. lib.  
4. Annal.  
Plutarch.  
in Numa.*

*Hieron. I.  
contra Iouan.*

superiora

superatis gentibus trophya referabant, & omnis dignitatis gradus, eis de viā cedere solitus sit, nec mirū hoc de hominibus, cum Mineruam quoque, & Diana, virgines deas fixerat error gentilium, & inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putat, virginem collocarint magnā iniuriā nuptiarum, vt ne inter Scorpios quidem, & Centauros, & Cancri, & Pisces, & Egoerotes vxorem maritūmque contruferint. Hec Hieronymus paucis omisit. Non potuit profecto delusa gentilitas, licet in hoc sapiens exstinxanda amplius castitatem honore prosequi, quam ut virgines triumphatori præponeret; damnatum ad mortem, ob virginis occursum libaret; virginitatēque quasi diuinarum sedium affixicem, & cœli habitatticem duceret.

Nec solum Romanis, verū & barbaris gentibus fuit in magno pretio, & honore virginitas. Cuius rei (vt vetera omittam) nouam & illustrem propinan historiam. Nobilissimum est in hac Americā regnum Chilense, licet bellicosorum incolarum robore, & (ut verius loquar) iudicij diuini severitate, à nostris non satis edomitum. Huius fuit vrbis vna, nomine Osornus, ab indigenis cum nostris bellum gerentibus populata. Viris ergo ac mulieribus Hispanis se se in quoddam propugnaculum recipientibus, Virgines quædam sanctimoniales Diuæ Clarae in eadē vrbe commorantes in eo propugnaculo vita tuenda causa receptæ sunt. Cū autem incredibili fame premerentur, vna eā, cuius nomen scire non potui, sola extra munitionem egressa, vt herbas ad cibum colligeret, à barbaris capta, & in potestatem cuiusdam illorum tradita est. Hic acceptam virginem eam vxorem ducere (plures enim illi vxores habent) & violare disposuit. Nam & alij barbari plurimas feminas Hispanicas hoc extremo bello capras, ò Hispaniæ dedecus! uxores duxerunt, & ex eis filios suscepserunt, & à patriis viuendi motibus auocarunt. Sanctimonialis ergo illa cū heri sui animum ex signis & verbis agnolceret, robur virile induens, in hunc fere modum illum est alloqua: Ego virgo sum vna ex sponsis Iesu Christi, illi in cœnobio consecrata, quod & habitus, quem gesto, & hic annulus, quem dígito defero, mea, cum Christo dispensationis insigne, aperte demonstrant. Non licet mihi carnis delicias experiri, nec viro nubere, ac per hoc sponso meo filio Dei iniuriam irrogare. Si vero tu me constuprare volueris, vide ne aduersum te indignationem summi Dei prouoces, & ausu temerario pro nouâ vxore mortem merceris. Barbarus, his auditus, obstupuit, & virginitatem, & filij Dei sacrum connubium, quod numquam audierat, admiratus, pulchram feminam, & omni ope humana destitutam, at diuinâ virtute protegam, attingere noluit. Quid dico attingere noluit? Certè tantâ eam est veneratione prosecutus, ac si numen aliquod cœlestis oculis vidisset, ac si sponsa Dei (vt illa vere erat) de hospitio commodasset. Quin & pollicitus est numquam se illi iniuriam illaturum, neque à quoquam infesti permissum. Adiecitque interrogare quid illi opus esset, vt diuino cultui, quantum illa captiuitas ferre, deesse non posset. Tunc illa animosior facta, rogauit illum vt sibi scapulare aliquod, & breuiarium ad horas canonicas recitandas queraret. Illęque ancillæ sua obediens abiit, & inter spolia Christianorum ab aliis barbaris afferuata, ram insigne illud monachæ, quam breuiarium inueniens, attulit, illęque dedit. Hortabatur illam subinde vt sponsi sui obsequio vacaret, vt propria status sui præstaret, vt Deo suo illius salutem commendaret, & vt nihil omnino, quod ad ministeria

A domus pertineret, attingeret. Si vero aliquando illa vxoribus, aut ancillis barbari se admicere tentaret, vt cibos pararet, aut pannos elueret, aut quid simile faceret, ille penitus non ferebat, sed & blandè illam increpabat, dicens non decere sponfam Christi talibus ministeriis occupari, potius cunctos debere illi tamquam dominæ, & heræ seruire. Monials hæc toto anno, & eo amplius apud infidelem illum comiter hospitata permanuit, donec precum & gemitum eius misericors Dominus, sic eam è captivitate liberare dispositus. Animo barbari hanc cogitationem iniecit, indignum esse illum, qui virginem, ac Christi seruam, domui suæ hospitem haberet, ac omnino Christianis esse restituendam. Cū autem hinc istis cogitationibus premeretur, illinc vero timeret mortem sibi ab aliis barbaris inferendam, si fæminam illam sponte fineret ad propria remeare, quid facit? Domus sua quasi aliquid in agro facturus egreditur, & occulte ad munitiunculam militum Christianorum, que non longe aberat, proficitur illis suasurus, vt ad virginem illam quærendam exeat, & versus dominum suam vadant, & ipso permittente, nulloque modo contradicente, se cum deferant. Antequam ad propugnaculum veniret, aliquos milites obvios habuit, quibus confituum suum pandit, & opportunatam rapiendo virginem, ac domus suæ locum ostendit. Cū autem ex condicione milites illi die signato in domum illius barbari pergerent, qui more Chilenum non in vrbe aliquā (quas illi non habent) sed in monte ab aliis nonnulli separatus habitatbat, ipse quasi hostes fugiens cum vxoribus, & filiis, ac seruis, festinante discensit, & virginem illam à militibus inueniendam, & deducendam dimisit. Sic illa ob honorem castitatis liberata est, & quodammodo simul cum virginitate à Domino secunditate donata. Nam barbarus ille postea decretuit virgini se vt seruum trahere, & illam sequi, eiusque fidem suscipere. Defiderium autem hoc opus sequutum est: illum namque ad fidem conuersum, & fidei, ac vita tuenda causâ à suâ patriâ exulem factum, multi in vrbe sancti Iacobi Chilensis, & postea in hac curia regni Peruensi viderunt, à quibus rei gestæ rationem acceperit.

B Est ergo castitatis præmium delatus honor, & habita reverentia illius, qui hanc virtutem ex animo profitentur, quam non solum fide illuminati exhibent, sed & luce supernaturali destituti & barbari similes bestiæ, non negant. Tanta enim est dignitas castitatis, vt ab infidelibus honoretur; tanta pulchritudo, vt à barbaris etiam in magno precio habeatur.

### De Præmio, quod ratione Castitatis habet Catholica Ecclesia.

#### CAPVT XIII.

 ONSIDERATE lilia agri, ait Dominus, quomodo crescunt: non laborant, neque ment. ] Hac verba secundum tropologiam de animabus castis possunt intelligi, quæ meritò cum liliis agri possunt conferri. Sicut enim lilia agri colore candidissima, & odore suauissima, non manu

Matt. 6.  
28.